



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. An judex possit cogere partes ad personaliter comparendum in
judicio, & an in eodem personæ principales per se ipsas ea, quæ facti
sunt, proponere debeant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

agere, aut contra actorem etiam excommunicatum excipere, vel compensationem in partem causa objicere, quia in talibus casibus magis videtur, se defendere, quod concessum illi est, quam agere; & quamvis in causis minus arduis cogi possit, ad defendendum se per Procuratorem, prout ex *tit. cap. Intelleximus* colligitur, in arduis tamen causis ad hoc cogi non potest, sed per se causam suam defendere permittitur (ne afflictio nova addatur afflictio, & minus fidelem cum magno suo incommodo habeat sui defensorem) etiam si esset in culpabili mora petendae absolutionis ab excommunicatione, neque tamen ab actore excommunicato in iudicio gesta, qui per oppositam excommunicationis exceptionem non fuit repulsus, irrita sunt, si coram iudice ordinatio, aut legitime impetrato egerit, quamvis enim a iudicio propter excommunicationem & prohibitam communicationem forensis repellatur excommunicatus, nullum tamen jus speciale reperitur, per quod acta illius reddantur irrita, quamdiu contra illum exceptio excommunicationis non probatur.

§. VI.

An iudex possit cogere partes ad personaliter comparandum in iudicio, & an in eodem persona principales per se ipsas ea, quae facti sunt, proponere debeant?

Partes ordinariè cogi à iudice non possunt, quamvis hic sit à Summo Pontifice delegatus, ut personaliter in iudicio compareant, *Cap. Juris 1. h. tit. in 6.* nisi causa rationabilis aliud jubeat; & hinc compelli possunt ad personaliter

comparandum. Primò in causis criminalibus criminaliter intentatis. Secundò ad præstandum juramentum de veritate dicenda. Tertio ad juramentum calumniae præstandum. Quarto in aliis etiam casibus, in quibus ipsa principalis status in communi magis perspectum habet, & ubi ex qualitate personae colligi pro causa decisione aliquid debet. Et quinto denique si speciale Delegatus à Papa aliquod mandatum habeat, ad partes principales specialiter inquirendas. Factum tamen ipsum ordinariè personae principales per se ipsas, & non per Advocatos proponere debent (nisi sint personae valde simplices, & indiscretæ, ut earum defectus à iudice supplendus sit *cap. Postheralis 1. q. h. tit.*) quia meliorem notitiam facti habere censentur principales, quam Advocati, quamvis his non prohibeatur assistere illis in facto tali proponendo, & in expediendis illis, quæ in iure consistunt, in libello scilicet formando, in interrogatoriis & articulis probatoriis.

§. VII.

An, qui promittit, se litigaturum coram iudice, si postea non compareat ad litigandum in iudicio, censendus sit, contumaciter abesse, & puniri possit tanquam contumax?

SI quis coram iudice sedente pro tribu-
li promittat, se cum adversario litigaturum, non potest postea exceptionem fori declinatoriam opponere, & iudicem proprium recusare, etiam si lis contestata nondum fuerit; nisi nova causa superveniat, aut antiqua ignorata manifestetur, argumento, *cap. De quodam de Deo 1. h. tit.*